



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tora nevi'im u-ketuvim

Leusden, Johannes

Amstelodami, 1667

Judicium Christiani Schotani S. Theologiæ Professoris in Academiâ
Franekeranâ Frisiorum, De nova hâc editione Bibliorum Hebraïcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39406

item, quod gravioribus dstringeret negotiis. Cum tamen sacer manipulus universæ segetis, unde demessus fuit, referat indolem; & quod diverbio dicitur, ex ungue leonem noscere liceat, illa ipsa folia implerunt me spe, imo fiduciâ, totum opus cum pulchritudinis, tum integratatis, quanta quidem hominibus humanisque congruit, ornamenta possidere, ac Editoris famam & nomen *Bombergiis, Plantinis, Stephanis*, & quicunque Hebræa Biblia accurate & eleganter expressissime laudantur, meritò esse annumerandum, ut pari gloriâ ad posteritatem memoria ipsius transmittatur. Ne quis autem vanitatis meam damnet fiduciam, hujus Editionis non modo usum commendabo, sed etiam collationem cum prioribus aliis vel emendatissimis. Videbit enim quod dixi, quisquis oculo, censorio licet, perlustraverit, & cuius suspectam forte habuit credulitatem, novus suffragator confirmabit testimonium: pariterque tecum & Editorem prædicabit, & Editionem: atque ut haec à plurimis expertatur, feliciterque usurpetur; ille verò fructu laboris sui latus fruatur, quantum in se est, optabit, efficiet.

Scripsi Groningæ Frisiorum

d. 2. Maii. 1667.

Jacobus Alting.

JUDICIUM CHRISTIANI SCHOTANI

S. Theologiae Professoris in Academiâ Franekerâ Frisiorum,

De nova hac editione Bibliorum Hebraicorum.

L. P. S.

VIDI, suppedante amico, editionem recentem Veteris Testamenti Hebraicj, quæ Amstelodami ex officina Josephi Athiae, hominis Judæi, obstetricatione & cura viri doctissimi & diligentissimi D. Johannis Leufden nunc prodit. Mirifice me afficiebat elegantia, cura, diligentia. Vincit enim omnium, quas haec tenus vidimus, editionum *κατά πάτερα*, laudem & industriam. Formæ literarum grandes, nitidæ, ductibus & apicibus suis accuratissimæ & expeditissimæ. Tum vero signorum enuntiationis & accentuum, ad analogiam sermonis & *ζειματισμῶν*, pene superstitiosa & nimia observatio, si quid hic nimium esse possit. Si Magister diligitissimi, qui unquam in seculo fuere, reviviscerent, dicerent voto suo satisfactum esse, nec usquam a scitis suis & lingue genio aberratum. Editionem prodiisse, quæ desideriæ summam æquaret. Felices tyrones hujus linguae studiosi; hic nihil inversum, nihil distortum, nihil quod offendere possit aut perturbare. Quanta diligentissimi cura fuerit, vel id solum indicet, quod breve hic nusquam adiectio punctis cum rapto confundatur. Quam observationem suam Magnus Drusius, si in vivis esset, miraretur, tam diligenter teneri potuisse, præter omnium editionum consuetudinem. Laude sua & encomijs nolim fraudari optimas editiones, veteres & recentes, sed non ferent ægre Venetie nec Antverpia nec Basilea suam industriam & *τυπογραφίαν* hac Amstelodamensi editione superatam esse. Immortales gratia & Typographo & editionis patrì ac procuratori debentur ab omnibus qui hunc sermonem & verbum Dei amant.

CHRISTIANUS SCHOTANUS.